



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

68. In Iubilæo anni Sancti 1650. Romæ in conflictu Duelli, quis accepit
vulnus lethale, ex quo post aliquos dies mortuus est, quæsierunt tunc à
me, an privandus esset Ecclesiastica sepultura? Ex p. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

vel confellus decedat in loco conflictus, vide meip.
de est sum in 4. part. tr. 4. resol. 19.

RESOL. LXVIII.

In Jubileo anni Sancti 1650. Rome in conflictu duelli
quis accepit vulnus lethale, ex quo post aliquot dies
mortuus est, quaesierunt tunc a me an privandus esset
Ecclesiastica sepultura? Ex part. II. tr. 6. & Misc. 6.
Resol. 26.

Affirmativam sententiam docet Thomas
Hurtado *Var. t. 2. tr. ult. ref. 5. §. 6. num. 196.*
ubi sic ait: Addo cum gravissimis Doctoribus, quod
si quis certantium obierit ex vulnere in duello acce-
pto, taliter quod evidenter constet ex illo obiisse,
etiam si Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ acce-
perit, non debet humari Ecclesiastica sepultura; nam
moriatur ex vulnere in Duello accepto, & mori in
Duello dicitur. Bonacina, & Peregrinus addunt, (&
est contra Ioannem Sancium, num. 9.) hanc doctri-
nam veram tenere, etiam si mors sit postmodum Duel-
lum; nam verè dicitur in Duello mori, qui tale vul-
nus in Duello accepit, ex quo, nisi interveniente mi-
raculo, superstes esse non potest. Idem tenet Hurta-
do §. 177. ubi ait: Quod si vulnus lethale sit, aut ho-
minem reddat ineptum actionibus humanis, ut om-
nino desperetur ejus salus, hic censetur in ipso con-
flictu decessisse, etiam si post duos aut tres dies, quia
tota causa mortis fuit. Neque hoc est extendere verba
Concilii, sed in sua propria significatione accipere,
si enim quis in loco conflictus moritur, & si ibi
recipiat Sacramenta, non debet sepeliri in loco Sa-
cro, ut tenet Sancius ipse: ergo neque etiam si extra
locum conflictus moriatur, si moriatur ex vulnere le-
thali in Duello accepto, mortem, nisi miraculo, ne-
cessario inducente: nam quod sit in loco conflictus,
vel extra, nimis accidentale est, & quod per se atten-
datur, est, quod moriatur in Duello, quod tunc sit ve-
rè, & propriè quando moritur ex vulnere lethali, ut
diximus. Sicut sanguine dicitur pollui Ecclesia etiam
si in Ecclesia, accepto vulnere, sanguis extra Eccle-
siam fundatur. Neque obstat quod Concilium La-
teranense c. 1. de Torneamentis, dicat si ibi moriatur;
nam hæc verba accipi debent secundum usum com-
munem secundum quem dicitur in Duello mori, qui
ex illo ita lethaliter vulneratus exivit, quod vivere,
citra miraculum, nequeat. Benè verum est, quod si
vulnus ita lethale non sit, quod aliquis vitæ locus
relinquatur, juxta Chirurgorum informationem,
quamvis ex illo decedat, poterit loco Sacro sepeliri.
Hucusque Hurtado; qui poterat alios Doctores pro
sua sententia adducere, & hi sunt, Bordonus t. 2. ref.
§. 1. n. 111. Lavotius in *Var. elucubr. tit. 2. cap. 12. n.*
26. Samuellius de *Sepulturis*, tr. 2. concl. 8. n. 12. The-
saurus in *Praxi*, part. 2. cap. 3. & Bicchius in *Promptua-*
rio Confessorum, part. 2. cap. 18. §. 9.

2. Sed ego de proposito casu interrogatus tunc
negativè respondi secundum sententiam, quam olim
docui, & postea me citato docet Lezana in *summa*
tom. 3. verb. Duellum, num. 14. & me citato Ballæus,
verb. Sepultura, num. 5. & me citato Carafa de *Duello*,
tr. 2. sect. 3. quest. 19. n. 9. & me citato Vidal in *Arca*
Theol. mor. tit. de Duello, inspect. 6. n. 46. & me citato
Baucius in *Miscellan. tr. tom. 1. q. 4. §. 8. petes 8.* & me
citato Barbosa in *Collect. Concil. Trid. sess. 21. cap. 19.*
n. 2. de reformat. Idem à fortiori docet Possentius in
Recoll. q. Mor. verb. Duellum n. 6. Mancinus in *Pract.*
de infirmis in ordine ad Sepulturam n. 4. Trullench. de
jure Parochi c. 9. dub. 7. n. 7. Machadus *tom. 1. l. 2. p. 3.*
tr. 17. docum. 5. num. 10. & Remigius in *Pract. con-*

sess. tr. 2. cap. 5. §. 1. num. 11. ubi sic ait: Fuera de la
discomunion que incurren los desafiados, quedan
tambien privados de la Ecclesiastica sepultura, con-
stando notoriamente que alguno murio en el confli-
cto, dixè constando notoriamente, porque si no
constasse assi, no le deven negar publicamen-
te la sepultura: Pœna enim publica, haud infligi-
enda est, nisi ob peccatum publicum; y si à caso
quedasse alguno mortalmente herido en el lugar del
desafio, y del le sacassen, y muriesse conseqües de
contricion, no deve ser privado de la Ecclesiastica
sepultura; porque el Concilio solamente priva della à
los que en el mismo conflieto murieren. Ita ille; cui
adde iterum me citato Lezanam *Conful. 49. n. 3.* lo-
quentem de casu speciali hujus Resolutionis, de quo
ego ut dixi interrogatus fui. Non sunt igitur Duellantes
in tali casu privandi Ecclesiastica sepultura.

3. Sed de hac questione liberos esse in Gallia, &
Germania tradit Stephanus Baunus in *Theol. moral.*
tom. 2. disp. 3. tr. 2. quest. 19. §. dicterio, ubi sic ait:
Qui reos violatæ legis Ecclesiasticæ de monomachia,
terræ in Francia mandant cum apparatu Ecclesiæ con-
sueti, aut fato sanctos, Deo publice in Sacrosancto
Missæ Sacrificio commendant, nulla citra scandalum,
aut prohibitionem Episcoporum, culpa se impiant.
Probat. si quam admittent, ei haud dubie ini-
tium esset à violatione legis Ecclesiasticæ de pugili-
bus, ut vivis, sic mortuis averlandis ob censuram, in
cujus se laqueos pugnando in tuere, vel certè quia per
quam est turpe, pro eo, quem mors deprehendit in
mortali scelere, preces fundere. At ut est hoc postre-
mum ambiguum (nam momenta temporum, quis
novit? Quis animæ ad Deum redeuntis subitus mo-
tus? Quis de admissis pœnitentiæ salutare aculeos?
Quis instinctus?) ita certum est alterum, leges de
monomachia Pontificias in Gallia esse incognitas.
Sint hæc indicio. Primò, quod in Vrbem, absolute
impetranda causa, pugiles non mittantur. Exindè
quod eorum attractu cum sunt mortui, qua sunt pestife-
ra contagia, nec homines, nec religiose, Deoque sacra-
tæ ædes, cum in ea sunt illati, censentur pollui. Ter-
tiò, quod palam, ac in omnium oculis, mortui tam
suis id est gentilibus, quam alienis tumulis soleant
inferri, Episcoporum miro silentio, nisi cum id ipsæ le-
ge prohibere synodi, ergo cum lex quæ promulga-
ta, aut recepta non est, obligandi facultate careat, ut
sunt omnes de monomachis in Gallia, non erit ea-
rum transgressio, prout sunt leges quædam Ecclesiæ,
lethaliter culpabilis, nec proinde rei sceleris sunt fu-
turi, qui, quod est Romæ, aut in Italia prohibitum,
ejusdem homines honore sepulture dignabuntur, aut
precum, Portellius *part. 3. cas. 10. conclus. ult. num. 3.*
dicat aliquis qui verè constat, & unde, citatas Bul-
las, hic omni vi, roborèque destitutas, ob earum
non receptionem in Gallia. Primò, quia incertum est,
an unquam populo spectanda præstiterint, aut ei ab
Episcopis, aut aliis eorundem imperio significatæ
fuerint. Secundò, quia earum nullus est, aut fuit ha-
bitus usus toto Regno: quæro enim quando, & ubi
dictum aut auditum sit unquam hic (hoc est Parisiis)
aut vicinis circa oppidis, exhumata defunctorum in
Duello corpora? quando reconciliatæ Ecclesiæ? quan-
do cæmeteria? quæ eorum fuissent polluta attractu, ut
feri debuisset haud dubie, si de monomachis scriptæ
leges à Pontificibus, vigerent in Gallia? quare quod
de Germania scripsit Layman *l. 3. tr. 3. part. 3. c. 5. n. 4.*
dici potest pariter de aliis Provinciis, ac Septentrio-
nales (verba sunt ejus) seu ob ignorantiam, seu quia
Constitutiones illæ secundum hunc sensum promul-
gatæ, & in usum deductæ non sunt, à censura excu-
sari. Hucusque Baunus: Sed quidem nimis laxè: Vn-
de non gravabor adversus Gallum, alterum Gallum
oppo

opponere. & is est doctus & pius Andreas Duvallius Professor Regius inlyti mufai Sorbonici, *ubi supra*, in 2. 2. D. *Thoma*, tr. de charitate q. 17. in fine, ubi sic alferit: Quæret aliquis, an hæc pœnæ tantum inextrant in publicis Duellis, quæ sunt cum autoritate Principis, cum Patrinis, lociis, & omnibus qui interfesse volent spectatoribus, nec non cum loci & temporis determinatione, cæterisque cæremoniis in his talibus Duellis observari solitis: an etiam in privatis, quæ cum sola provocatione, absque ullis cæremoniis, patrinis, & spectatoribus fiunt. Respondeo, in privatis Duellis hæc pœnæ similiter incurritur, ut patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *ad tollendam detestabilem*, promulgata 13. Decembris anno 1582. & ex altera edita à Clemente VIII. quæ quamvis non sint in Gallia promulgatæ, sunt tamen usu receptæ (quod ad inducendam legis obligationem, promulgatione sola præstat) eo quod Duella ipsa sub pœnis capitalibus prohibentur, nec non sub proscriptioe omnium bonorum, atque etiam perpetuæ infamiae, itemque sepulturæ privatione; quod non fieret, si tota Gallia non annueret, aut sentiret, ipsos Duellantes privatos, esse de facto de excommunicatos. Ita Duvallius. Vnde ego rectè, his diebus interrogatus, damnavi eos qui in Gallia Ducem de Nemours in Ecclesia sepelierunt, qui tamen mortuus erat in Duello inito cum Duce de Beaufort.

4. Ad id verò quod de Germania tradit ex Layman Pater Baunys *ubi supra*, respondeo, quod amicissimus & sapientissimus Pater Ariaga in *Cur. Theol.* 1. 5. disp. 49. sect. 3. n. 20. nominatim Layman impugnatur, & firmat Bullas Pontificias Gregorij XIII. & Clementis VIII. esse in vigore in Germania cum eorum pœnis. Et quidem Clemens VIII. directè loquitur contra Regiones Septentrionales; sic enim ait, Verum, quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam præsertim Transalpinis ac remotis regionibus, & potissimum ubi bella vigent, &c. nos nefaria Diaboli arma, &c. & paulo post: Insuper auctoritate & tenore præmissis decernimus & declaramus, easdem constitutiones ac decretum locum habere ubique gentium, & terrarum inter quas cumque personas etiam armatas, & in castris seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut fidei Catholice hostium furor impunè grassatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis. Hæc Pontifex. Vnde ex his resellendus venit Marcus Vidal in *Arca Theol. mor. tit. de Duello, inspect.* 6. n. 49. Sed ipse loquitur stante attestazione Layman.

RESOL. LXIX.

An excommunicatus toleratus moriens sit privandus Ecclesiastica sepultura, si publicè innotuerit fuisse excommunicatum? Ex patr. 5. tr. 3. Ref. 140.

Sup. hoc in ref. seq. & infr. in ref. 209. §. 1. in fine, quamvis ibi non distinguitur inter excommunicatum toleratum, vel non toleratum, lege ibi veritas si no va ablueto.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Avila par. 2. cap. 6. disp. 9. dub. 6. & disp. 4. dub. 8. concl. 2. & novissime hanc sententiam docet in sua erudita tractatione de Monitoriis Theophilus Raynaudus par. 2. c. 3. n. 7. ubi sic ait. Est admodum probabile quoscumque excommunicatos, etiam dum viverent toleratos, nunc quoque post Martini V. decretum prohiberi sepultura in loco sacro, dummodo tamen publicè innotuerit eos fuisse excommunicatos; nam jure antiquo hæc pœna cadebat in excommunicatos toleratos; nec potest negari quin sit bonum quoddam, nec exiguum mortuorum, ut in loco sacro condantur. Sed Ecclesia non intendit ullum favorem excommunicato ipsi præstare, quando indulsit ne vita-

retur, ergo, &c. Sed ego puto non esse recedendum à negativa sententia, quam tuetur Suarez in 3. part. tom. 5. disp. 13. sect. 4. num. 4. & tom. 3. disp. 8. sect. 4. Heniquez lib. 13. cap. 7. num. 2. Toletus lib. 1. cap. 13. n. 10. Gutierrez in 99. Can. lib. 1. cap. 1. num. 30. Riccius de jure person. lib. 4. cap. 60. num. 4. licet novissime sententiam Raynaudi doceat etiam Blondus de censuris disp. 4. art. 14. asser. 3.

RESOL. LXX.

An sub prohibitione cap. Sacris, & Clem. 1. de sepulture excommunicati sepeliantur in loco sacro, excludantur excommunicati tolerati? Et advertitur, quod non polluitur Ecclesia sepeliendo excommunicatum, nisi sit ille vitandus. Ex patr. 5. tr. 9. Ref. 97.

§. 1. **P**rima sententia absolute docet omnes publicè sepulture excommunicatos ea comprehendere. Ita Cajet. ver. excommunicatio, cap. 46. & quidam alij. Secunda absolute negat toleratos ea comprehendere. Ita Saas. disp. 22. sect. 4. n. 5. Navar. cap. 17. num. 247. Heniquez lib. 13. cap. 7. num. 2. & cap. 11. num. 13. Ratio est, quia prohibitio sepulturæ immediate dirigitur non ad mortuum, qui ejus est incapax, sed ad vivos, qui jam non prohibentur communicare cum toleratis. Tertia sententia est media, docetque prohiberi tales sepeliri in loco sacro, quia hoc directè cederet in eorum favorem, tamen contra facientes non incurrere censuram, quia jam licet nobis cum iis communicare, nisi forte alij sepeliantur hæretici, quos absolute sine respectu ad excommunicationem cap. quicumque, citare prohibemur sepelire loco sacro. Ita Avila 2. p. cap. 6. disp. 9. dub. 6. §. ad primum, vers. per hæc patet, juncta disp. 10. concl. 1. & concl. 3. sub fin. & dub. 6. concl. 3.

2. Verum ego puto ad hærendum esse potius secundæ sententiæ, & ita præter DD. citatos, docet Mercerus de Sacris in 3. p. q. 2. 1. dub. 7. Turrianus lib. 2. disp. 11. dub. 3. Filiucius tom. 1. tr. 12. c. 4. n. 106. Cornejo in 3. p. tr. 5. de excomm. disp. 10. §. 8. Gordanus lib. 7. tom. 2. q. 8. c. 3. n. 38, qui bene advertit, quod non polluitur Ecclesia sepeliendo excommunicatum, nisi sit ille vitandus.

RESOL. LXXI.

Qui sunt illi, qui sepelientes excommunicatum in loco sacro incurrunt excommunicationem? Et an qui excommunicatos, etiam hæreticos notorios, sed non denunciatos in loco sacro sepeliunt, incurrant excommunicationem? Et an locus sacer sepulturæ excommunicati, aut hæretici nondum denunciati violetur? Ex patr. 5. tr. 9. Ref. 98.

§. 1. **I**n Clement. 1. de sepult. sic habetur. Qui propria temeritate audacia in cæmeteriis excommunicatos, publicè, aut nominatim sepelire præsumunt, &c. nullatenus absolvantur, &c. Vnde videtur comprehendere nedum actus deferentes cadaver ad sepulturam, sed etiam eos, qui propria autoritate faciunt sepelire in loco sacro, juxta cap. mulieres, §. illi vero, de sententia excommunicationis, per illa verba. Cuius committat verè cuius autoritate, vel mandato delictum committi probatur, & Faber de censur. in 4. sent. dist. 35. quæst. 1. disp. 4. cap. 1. n. 188. putat tutiorem esse illam sententiam, quæ extendit hanc censuram ad comitantes, cantantes, deferentes crucem, fosiorese sepulturæ, portatores cadaveris, & similes. Verum multi volunt.